



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 63. Quid circa distractiones in legenda Missa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

quoque peccatoribus, Domine non sum dignus. Errant autem, qui altâ voce dicunt *Memento Domine, Omnis honor & gloria*, dici enim debent submissâ.

§. 5. Si ex nimia acceleratione causetur mutilatio ultimarum syllabarum aut syncope intermediarum, dummodo maneat sensus & significatio absitque scandalum, est tantum veniale. Nullum erit peccatum, si fiat ex defectu naturali, *Quarti, Pasq. q. 232.*

Q. 63. Quid notandum sit circa distractiones in legenda Missæ. R. §. 1. Distractio quamvis longa extra canonem & sumptionem est tantum venialis, *Tamb. De Sacrif. L. 2. c. 3. n. 8.* Diuturna sub canone est mortalis saltem ob periculum in eo committendi errores, *Tamb. Gob. in Exp. t. 3. n. 817.* Attamen *Diana & Bardi* non agnoscunt culpam adeo gravem, quamvis magna esset distractio & si absit periculum errandi, quod tamen vix aberit: probabile est quamcunque distractionem internam etiam sub consecratione vel Communione fore veniale tantum, secundum sententiam, quam retuli L. 4. à nu. 1341., nempe, quòd cum distractione interna consistat essentia orationis, & attentio interna non præcipiatur graviter: quam sententiam fusè defendit etiam *Quarti p. 1. tit. 16. dub. 5.* Ratio autem est, quia intentio virtualis, quæ tum manet, sufficienter dirigit omnes illas actiones facitque esse opus Religionis.

§. 2. Si celebrans sub Communione distra- hatur voluntariè, aliqui putârunt peccare mortaliter, tum quia Communio requirit parem cum consecratione reverentiam, uti habet *Tamb.*, tum etiam quia consumptio utriusque speciei

speciei est de præcepto divino, qui autem sponte distrahitur sub actu à Deo præcepto, peccat mortaliter, inquit *Sanch.* in *Conf. L. 7. c. 2. dub. 28. n. 8.* E contra *Go b* meritò dubitat de tanto rigore, præsertim cùm *J. Sanch.* apud eundem neget laicum mortaliter peccaturum, qui communicaret voluntariè distractus, nam sub tam brevi actione distrahi, ubi non est periculum errandi vel invalidandi Sacramentum, videtur manere intra terminos materiæ levis.

445. §. 3. *Ant. Molina & Cotonus* ita requirunt actualem intelligentiam & attentionem ad omnia, ut putent eum, qui recitaret v. g. *Credo*, & non recitaret significativè, id est, simul non eliceret internos actus fidei per illa verba significatos, peccaturum, quia mendaciter profiteretur se credere, cùm tamen non haberet actum formalem fidei. E contra *Gob. n. 823.* probabilùs dicit & multis argumentis probat sufficere ea dici recitativè seu historicè, nullum enim reperitur præceptum de hoc, ut eliciantur omnes affectus, quos verba continent, præsertim cùm *Missâ* absque hoc sit vera oratio & actus Religionis.

446. §. 4. Pro retinendo animo collecto & excludendis distractionibus facile medium est, si Sacerdos consideret *Missam* tanquam memoriale *Passionis Christi*, considerando singulas actiones veluti repræsentativas alicujus mysterii *Passionis*, uti explicavi *L. 3. p. 1. n. 661.*

447. Q. 64. *Quid circa orationes, collectas sive commemorationes in Missâ sit observandum.* R. seqq. §. 1. In festis duplicibus & diebus octavis, per se loquendo, tantùm est una oratio, nisi festa occurrant, de quibus addi debeat commemoratio